

sensus impressit; quia nec ipsae coloratae sunt, aut sonant, aut olent, aut gustatae, aut contrectatae sunt. Audivi sonos verborum, quibus significantur, cum de his disseritur; sed illi alii, istae autem aliae sunt. Nam illi aliter Graece, aliter Latine sonant; istae vero res nec Graece, nec Latinae sunt, nec aliud eloquiorum genus. Vidi lineas fabrorum, vel etiam tenuissimas, sicut filum araneae; sed illae aliae sunt; non sunt imagines earum, quas mihi nunciavit carnis oculus. Novit eas, quisquis sine ulla cogitatione, qualiscumque corporis intus agnovit eas. Sensi etiam numeros omnibus corporis sensibus, quos numeramus; sed illi alii sunt, quibus numeramus, nec imagines istorum sunt; et ideo valde sunt. Rideat me ista dicentem, qui eos non videt; et ego doleam ridentem me.

CAP. XIII. MEMORIA OMNIA TENENTUR.

Haec omnia memoria teneo, et quomodo ea didicerim, memoria teneo. Multa etiam, quae adversus haec falsissime disputantur, audivi, et memoria teneo, quae tametsi falsa sunt, tamen ea meminisse me non est falsum, et discrevisse me inter illa vera et haec falsa, quae contradicuntur: et hoc memini. Aliterque nunc video discernere me ista, aliter autem memini saepe me discrevisse, cum ea saepe cogitarem. Ergo et intellexisse me saepius ista memini; et quod nunc discerno et intelligo, recondo in memoria, ut postea me nunc intellexisse meminerim. Ergo et meminisse me memini, sicut postea quod haec reminisci nunc potui, si recordabor, utique per vim memoriae recordabor. Affectiones quoque animi mei eadem memoria continet, non illo modo, quo eas habet ipse animus, cum patitur eas; sed alio multum diverso, sicut sese habet vis memoriae. Nam et laetatum me fuisse, reminiscor non laetus; et tristitiam meam praeteritam recordor non tristis; et me aliquando timuisse, recolo sine timore; et pristinae cupiditatis sine cupiditate